



† Pl. R. P. Alphonsus Lemieux, Proc. Gen. (1858–1931).

Quondam inter viros ecclesiasticos Canadenses in unum congregatos mota est quaestio, quemnam singuli prae ceteris sacerdotem virtutibus ornatum existimarent, et unanimi consensu, qui aderant, sanctitatis palmam nostro Patri Lemieux attribuerunt. Ita R. D. Lecoq e Societate S. Sulpitii, qui adfuerat, postea cuidam e nostris narravit.

Huc facit etiam iudicium parochi Marianopolitani Troie, qui egregio cuidam medico ad S. Annae sanctuarium itineraturo aliquando dixit: « Ne omiseris salutare Pulchriprati R. Patrem Lemieux, quo sanctiorem sacerdotem non novi. »



Pariter quaedam Monialis a SS. Redemptore, quae olim Patre Lemieux moderatore spiritus usa erat, recepto eius mortis nuntio ad Analectorum moderatorem scripsit: « Epistola tua, enarrans mortem sancti et optimi P. Lemieux, multum me commovit. Mortuus est, sicut vixerat, more Sanctorum. Eius monita animo meo impressa manent, ex quo die per singulare Dei beneficium eius directione frui coepi. Erat alter S. Fran-

ciscus Salesius. O te fortunatum, qui ultimae noctis partem notabilem ad eius lectum transigere potueris! »

Verum inter nostros quoque P. Lemieux haud raro vir sanctus vocabatur, quamquam domestici talem vocem haud ita facile quam extranei usurpare solent. De hoc igitur confratre, qui intra muros et extra tantae virtutis fama gaudebat et in Congregatione tam alta munia digne explevit, paulo diffusius in commentario nostro officiali iam agendum esse videtur.

Alphonsus Lemieux natione erat Canadensis, descendens, sicut ipse assererat, a familia Gallica, quae olim ex Normannia in Canadam immigraverat, et quis eum vituperaverit, quod patriam suam singularis amoris affectu prosequeretur? Ei seni nullum conversationis argumentum gratius esse videbatur, nullum quod magis eum facundum redderet, quam Canada, et pressius provincia Quebecensis. Laudabat, et merito quidem, suae gentis numerosam prolem, avitam fidem, erga Ecclesiae ministros reverentiam, vigentem ibi utriusque potestatis concordiam, plane catholicam catholicae iuventutis in scholis institutionem, alia.

In Canada igitur Gallici idiomatis, in eius urbe principe *Quebec*, Pl. R. P. Lemieux natus est d. 27 Febr. 1858 e parentibus honestissimis, Narcisso Lemieux, mercatore sat opulento, et Maria Mathilde Legaré. Insequenti die in ecclesia paroeciali *Notre Dame* baptizatus, praeter nomina *Carolus* (ab avo), *Narcissus* (a patre), *Iosephus* (quod omnibus omnino

huius piaae familiae filiis dabatur) etiam nomen *Alphonsus* sortitus est, idque usu princeps, quamquam inter parentes nemo ita vocabatur. Divinae igitur Providentiae dispositione factum est, ut hic infans statim sub Ilius Sancti protectione collocaretur, in cuius familia religiosa postea tam egregiis muneribus tam egregie functurus erat.

Ad matris pietatem commendandam Adm. R. P. Thomas Pintal haec narrat: Quotiescumque infantem pepererat, parvam Angeli statuam in fumarii antepagamento ponebat ad neonati Angelum tutelarem honorandum eiusque protectionem efflagitandam. Vesperi autem haud raro parvulos liberos ad se vocabat et sciscitabatur ex iis, quomodo intra diem se gessissent, materna perspicacitate in ipsis oculis veridicum responsum legens.

Quantum in huius matris piissimae schola Alphonsus profecisset, brevi demonstrabat, cum angelica pietate cotidie sacerdoti in sacello nosocomii Missam celebranti administrabat. Nil mirum, quod puer mature ad sacerdotium se vocatum sensit, et eo facilius quidem haec vocatio in eius animo germinare poterat, quod instituendus est traditus metropolitanano Seminario, domui paternae vicinissimo, et quod tres eius avunculi digni presbyteri erant, quorum unus Archiepiscopi Vicarius Generalis.

Quidam ex eius magistris, qui Ordini Praedicatorum nomen dederat, Alphonsum ad exemplum suum invitandum alliciebat, datis ad eum e claustris compluribus epistolis. Quas cum Alphonsi pater quondam reperrisset, filium quidquam in re tanti momenti decernere vetuit, nisi confessori assensum obtinuisset. Is vero saltem finem anni scholastici expectandum censuit; quod temporis punctum cum advenisset, Alphonsus noster non iam de Dominicano Ordine amplectendo cogitabat. Eum alteri familiae religiosae Deus destinaverat! Attamen unus ex eius nepotibus clarissimo Ordini Praedicatorum nomen dedit.

Almae Matri suae, Seminario inquam Quebecensi, honori fuit non modo moribus suis optimis, sed etiam reportato in fine rhetorices (1875) praemio illo, quod *Prix du Prince de Galles* audit.

Secuta sunt in Seminario eodem archiepiscopali altiora studia philosophiae et theologiae, eaque in ipsa Alma Urbe ad dignum finem perduxit acquisita laurea theologica. Per tres enim quattuorve annos in Urbano Collegio de Propaganda Fide vixit, non « alumnus » quidem, sed « convictor »; etiam in Seminario Romano et in Academia Divi Thomae praelectiones audivit, et ipse non cessabat solidam scientiam magistrorum suorum, uti professoris Satolli, postea S. R. E. Cardinalis, praedicare. Ibi illam Doctoris Angelici et doctrinae scholasticae admirationem hausit, quam usque ad vitae terminum semper professus est. Collegii autem Rector in eiusdem tabulis haec de nostro Canadensi convictore magni ponderis verba scripta reliquit: « Optimus vir. Alacritate ingenii, diligentia et solidioribus omnibus virtutibus excellens. In externis compositus

ad exemplum. Multum in posterum profuturus creditur.» Alphonsi nostri laus etiam numismati cuidam inter eius reculas reperto inscripta est: *Doctrinae et pietati alumnorum Collegii Urbani.*

P. Lemieux ultimo vitae decennio, inter Propagandae confessarios ordinarios adscitus, in eodem Collegio ministerium sacerdotale exercebat, ubi olim ad sacerdotium praeparatus fuerat. Hac eximia dignitate auctus est Sabbato Sancto 8 Apr. 1882 in Archibasilica Lateranensi per Leonis XIII Vicarium, Cardinalem Monaco La Valletta, et sicut in tota vita quidam « fortunae filius » apparebat, ita etiam beatas sacerdotii primitias, ut perpauci hominum, gustare poterat, siquidem neosacerdoti per quatuor menses feriari licuit. Quamobrem Alphonsus Lemieux, postquam incruentum Novi Testamenti Sacrificium in variis sanctuariis Romanis obtulit, d. 21 Aprilis iter in Terram Sanctam suscepit. Postea, ut ex eius notulis diurnis apparet, etiam Neapoli, iterum Romae, Laureti, Patavii, Lapurdi, Parisiis Missam celebravit, et demum d. 13 Augusti primum in patria, in Basilica Quebecensi, redux litavit.

Incipiente novo anno scholastico novellus Dr. Rom. in Seminario archidioecesis cathedram philosophiae ascendit, quam annis insequentibus cum theologiae cathedra secundaria commutavit, ita tamen, ut singulis annis novam materiam tractare iuberetur. Praeterea « Directoris assistentis » officium ei commissum est. Alia munia, etiam magis honorifica, procul dubio hunc sacerdotem, tot tantisque dotibus commendatum, in patria manebant, at Deus alio eum vocavit. Curriculum vitae, quod ipse in novitiatu scripsit, in incendio domus Trudonopolitanae cum aliis rebus conflagravit; attamen desideratissimus confrater ipse, iam senex, in familiari conversatione de vocatione sua religiosa haec narravit:

Vocatio Redemptoristica in eius corde praecipue orta ex assidua lectione librorum S. P. N. Alphonsi, et tanta quidem vehementia orta est, ut vix tempus exspectare posset, quo proficisci sibi liceret; immo se peculiari voto obstrinxit novitiatum nostrum ingrediendi et professionem in Instituto Alphonsiano emittendi, si a Superioribus admitteretur.

Primi Redemptoristae in Canadam venerant e Provincia Americana, verum cum lingua Anglica uterentur, ministerium Gallica lingua in provincia Quebecensi exercendum a. 1879 a Provincia Belgica susceptum est, et primum quidem Pulchriprati in celeberrimo sanctuario S. Annae. Scripsit igitur professor iuvenis ad Belgii Provinciale, Pl. R. P. Ioannem Kockerols, supplices litteras, cuius responsum, d. 5 Ian. 1887 datum, usque ad mortem conservavit. Inde haec transscribere liceat:

Monsieur le Professeur,

La bonne lettre que vous avez bien voulu m'adresser sous la date du 15 Décembre m'a fait grand plaisir, parce que j'y découvre les dispositions d'un futur fils de

St Alphonse. Ne vous effrayez pas trop des obstacles que vous rencontrerez dans l'exécution de votre saint projet. Dieu saura bien les lever en temps opportun. S'il donne la vocation, il donne nécessairement les moyens de la suivre au temps voulu par sa Providence, à la condition toutefois que nous ne négligions pas les moyens humains. Tout en vous abandonnant à la volonté divine, insistez auprès de vos Supérieurs et tâchez d'obtenir le plus tôt possible votre délivrance. Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, dit St Ambroise... J'espère qu'ainsi, à force de presser le Ciel et la terre, vous passerez bientôt l'Atlantique et l'Angleterre pour aborder ici, où vous ne trouverez pas les montagnes du Canada, mais des cœurs d'amis et des bras ouverts pour vous recevoir.

Je vous remercie... pour tout ce que vous me dites de nos chers confrères de Ste Anne de Beaupré. Je ne sais comment remercier N. S. J. C. de toutes les bénédictions qu'il répand si abondamment sur leur ministère apostolique. Dieu se plaît à nous bénir de la même façon dans tous les pays où nous sommes établis, et spécialement en Belgique; preuve évidente que la grâce de Dieu est gratuite.

Huic invitationi prof. Lemieux non tam cito morem gerere poterat, sicut desiderabat; eius enim Superiores ecclesiastici aegerrime thesaurum adeo pretiosum dimittebant, et demum autumnno huius anni 1887 in Belgium navigavit. Trudonopoli novitiatum peregit, et qualis erat senex canis capillis, talis, teste eius commilitone R. P. A. Guillot, iam in tirocinio fuit: semper idem, semper exemplar boni religiosi. Etiam eius Magister, R. P. Tournay, postea repetebat hunc Doctorem Romanum in novitiatu sua humilitate et simplicitate omnibus admirationi fuisse. « Quis prae ceteris male meditationem legit? » interrogavit quondam P. Magister. Respondent singuli novitii pro sua ingenuitate, vel etiam malitia. » Et quid tu, Fr. Lemieux, sentis? — « Non est dubium, Reverende Pater Magister, quin ego ipse sim! »

Attentis igitur singularibus huius novitii sacerdotis qualitatibus eiusque fervore Superiores eum iam post dimidium annum, d. 12 Apr. 1888, ad vota nuncupanda admiserunt. Tum ad secundum novitiatum statim admissus est, quem Leodii transegit. Postea eum videmus membrum communitalis Bruxellensis ad S. Iosephi, strenue et domi et foris ministerio apostolico operam dantem. S. Familiae sodalicium, et virorum et mulierum, moderandum accepit, et variis missionibus, renovationibus aliisque laboribus apostolicis occupatus erat. Iam mense Augusto 1890 monialibus primum exercitia spiritualia tradidit, et multoties postea, sive in Belgio, sive in Canada, sive in Italia, idem perfecit.

Tertio post emissam professionem anno P. Lemieux in eadem communitate, Superioris Provincialis residentia, Rectoris munus suscipere iussus est, et in Provinciae chronicis (VI, 77) ad diem 7 Iul. 1891 legitur: « Installatio novi Rectoris, qui dedit conferentiam humilitatis sensu plenam. » Hac humilitate motus P. Rector Lemieux, recipiens a confratribus aetate multo magis provectis venerationis et fiducia signa, quandoque lacrimas

continere non poterat. Ex eo tempore usque ad obitum inter Congregationis proceres mansit, sicut haec tabella chronologica ostendit:

- 1891–1893 Bruxellis ad S. Iosephi Rector.
- 1893–1898 Rector domus studentatus Beauplateau.
- 1895–1898 simul Praefectus studentium.
- 1898–1907 Visitator seu Vice-Provincialis Vice-Provinciae Canadensis simulque primo triennio Rector domus Montréal ad S. Annae.
- 1907–1908 Rector Pulchriprati.
- 1908–1909 Rector novi studentatus Ottawa, et Lector historiae ecclesiasticae.
- 1909 I Vocalis Provinciae Belgicae in Capitulo generali.
- 1909–1911 Visitator Vice-Provinciae Canadensis.
- 1911–1921 Novae Provinciae S. Annae primus Provincialis, et qualis etiam Capitulo gen. 1921 interfuit.
- 1921–1927 Romae Vice-Procurator Generalis.
- 1924–1927 Vice-Rector domus generalitiae.
- 1925 etiam canonicè visitavit Provinciam Canadensem S. Annae et anno sequenti Provinciam Belgicam.
- 1927–1931 Procurator Generalis.

Quodsi tot Superiores maiores tamdiu Patri Lemieux fiduciam suam mostrarunt, certissime ipse ea dignus fuit. Ac re quidem vera homo Dei erat; quicumque cum P. Lemieux paulo intimius tractabat, deprehendebat religiosum et sacerdotem fidei spiritu in omnibus ductum atque in mundo supernaturali radicum et fundatum. Proprio lumini diffidens, aliorum consilia volens expetebat, et libentissime sequebatur eorum sententiam, quos Deus ipsi consiliarios dederat. In omni negotio locum principem dabat orationi. Interrogatus a Provinciali Baltimorensi, Pl. R. P. Schneider, quomodo in re adeo delicata, sicut divisio duarum Provinciarum Canadensium a. 1911 fuit, exitum tam felicem invenisset, monstravit monasterium Monialium a SS. Redemptore (1) dicens: « Orationes fervidae Sororum nostrarum id effecerunt ». Minime tamen alia media negligebat, ut illa, quae in Constitutione « De secreto » indicantur. Sic, cum de illa divisione ageretur, adeo clandestine iter in Status Foederatos ad Rectorem Maiorem, tum ibi commorantem, perfecit, ut nemo subditorum Canadensium id resciverit aut suspicatus sit.

(1) Ipse P. Lemieux validam suam operam contulit ad hoc asceterium a. 1905 Pulchriprati condendum. Ibi etiam eius soror, mortuo marito, ingressa est et beato fine quievit. Cf. C. HENZE, *Die Redemptoristinnen*, p. 177.

Sub adiunctis valde criticis a. 1895 spiritualis cura tot clericorum studentium superaddita est humeris Rectoris Pulchriiugi, tum annum agentis trigesimum septimum; at quotquot in illo studentatu tum degebant, et Flandri et Wallones et Canadenses et Germani, ultra sexaginta numero, omnes Patris Lemieux prudentiam admirabantur et fiducia grandi se ei ducendos tradebant. Mirabantur etiam, quanta sapientia in conferentiis publicis non modo traderet sana principia ascetica — qua in re duces eius praedilecti S. Franciscus Salesius et S. Teresia ac praesertim S. P. N. Alphonsus et S. Vincentius de Paulo erant — sed etiam singulari arte defectus concretos audientium, ultimo tempore manifestatos, impugnaret. Haud secus in privatis cum subditis colloquiis suaviter et fortiter corripuit corrigenda et dubia prudenter solvebat.

Talem Superiorem exemplo non minus quam verbo observantiae regularis zelantem fuisse obvium est. Quoad Vice-Provincialis in domo novitatus Marianopolitana degebat, ergo per novem annos, semper Officium divinum cum ceteris in choro recitabat, et finitis Laudibus per horae quadrantem SS. Sacramentum visitabat, sicut etiam cotidie, usque ad vitae exitum, Viam Crucis obibat. Iter faciens potius ad horam tardam expectare, quam Missae celebratione supersedere volebat. Ubi in itinere maritimo choreae serotinae parabantur, comitibus dicere solebat: « Eamus cubitum », vel: « Recitemus preces vespertinas! ».

Suaviter, humiliter, modeste cum omnibus tractabat, nec recusabat modo innocenti iocari, praesertim cum aequalibus et amicis. Illud divini Magistri *Nisi... efficiamini sicut parvuli...* animo eius alte inscriptum erat.

Quondam in visitatione canonica conferentiam faciens confratribus zelum animarum et ardentem et ordinatum exoptavit. Qua in re ipse nobis exemplo erat. Quam libenter usque ad vitae finem praedicabat exercitia spiritualia! Verum tales labores apostolicos fortiter respuebat, si inde officii suis detrimentum timebat.

Sed ne longi simus, exitum huius vitae in fidei Dei servitio consumptae breviter enarremus. Veneratissimus confrater, qui vix unquam graviter aegrotaverat, etiam Romae, ubi per decennium ultimum morabatur, sat commoda utebatur valetudine, communitatis cursum passim secutus; tamen mentis vires, praesertim memoria, sensim declinabant, unde Procuratoris officium ei onus in dies gravius evadebat. Paulatim etiam corporales senectutis molestiae, ut fieri solet, magis magisque premebant. Quomodo denique optimus P. Procurator brevi duarum hebdomadarum morbo ad extrema adductus et die 13 Martii 1931 nobis ereptus sit, ipse Rñus P. Generalis in sua epistola circulari n. 93 (supra pag. 133) exposuit.

P. Lemieux, qui in tota vita se adeo pium, morigerum, voluntati divinae subiectum, fidei spiritu repletum praestiterat, haud alium se monstravit inclinata iam vitae die. Nolebat miraculum suae sanationis petere

a Servo Dei Alfrido Pampalon, quem olim subditum habuerat, affirmans se iam aetate satis provectum esse, et haec quoque verba adiiciens: « O quam pulchrum est mori in Congregatione! » R. P. Tobias Butturini, qui materna sollicitudine ei assistebat et ultimas noctes in eius cubiculo transigit, aliquando iocose interrogavit: « Nonne desideras, Pater mi, hinc avolare et S. Clementis festum in Paradiso agere? » Et carissimus senex subridens: « Quidni desiderem? » inquit, « sane iucundum foret! Sed omnia Deo relinquamus ».

Et revera haec pulchra anima, uti iure optimo creditur, S. Clementis festo hoc anno inter caelicolas interfuit, interventu benignissimae Matris Dei, quam P. Alphonsus Lemieux, iuxta Patroni sui sancti et Patris legiferi exemplum, usque ad ultimum halitum filiali devotione coluit.